

Transeat minor.

Distinguo consequens: impotentia physiologica est impotentia ad generationem, *concedo*; impotentia canonica, *nego*—Hoc foret probandum neque ex praesenti argumento eruitur.

«Impotentia matrimonii est impotentia ad generationem i. e. defectus potentiae seu causae generativa. Causa generativa proxime et adaequate est in unione seu copula viri et feminae per se apta ad generationem remotae seu inadaequate, est in organis necessariis ad praedictam unionem et ad generationem in viro et in femina. Nam si desunt organa physiologicè necessaria ad generationem i. e. in viro testes, in femina uterus et ovaria, licet possit haberi coitus, ille coitus tamen non est per se actus ad generationem et consequenter non est coitus maritalis. Quare impotentia matrimonii proprie est impotentia ad generandum non impotentia ad coitum.»

Haec brevius et in forma ita sonant:

Ut valide contrahatur matrimonium, requiritur potentia ad coitum maritalem h. e. ad talem coitum qui *per se sit aptus ad generationem*.

Atqui, si vel in viro vel in femina desint organa physiologicè necessaria ad generationem, coitus licet haberi possit, non erit maritalis seu per se aptus ad generationem.

Ergo, deficientibus hisce organis, valide non contrahitur matrimonium.

*Respondeo: Concedo maiorem; distinguo minorem:* Si desint organa necessaria ad copulam perfectam, quae generationi dat principium: *Concedo*.—Si desint in feminis sola organa ad munera physiologicè necessaria, quae copulam regulariter sequuntur: *Nego*.

Sub data distinctione concedo vel nego consequens.

Sane carnalem copulam, si per se seu in sua natura spectetur, omne punctum tulisse integra traditio censuit, cum vir mulieris vas debitum penetrando ibi verum semen effuderit. Sed neque physiologi moderniores secus docent: «La fonction de la reproduction se compose, dans les deux sexes, de deux actes tellement distincts, que pour l'exercice de l'un la volonté reste entièrement